



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Annalivm Trevirensium**

**Masen, Jacob**

**Augustae Trevirorum, 1676**

Liber II. S. Petrus Rom. Pont. Claudius Rom. Imp. S. Eucharius I. Episcopus  
Trev.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12542**

## LIBER II.

S. Petrus Rom. Pont. Claudius Rom. Imp.

S. Eucharis I. Episcopus Trev.

Postquam sub Claudii imperantis exordia Romam delatus Apostolorum Princeps Petrus, orbis universi ad Christi agnitionem cultumque traducendi cupiditate flagraret, dimissis quaquaversum Evangelii Præconibus, Eucharium, unum ex duobus & LXX Christi Discipulis, jam creatum Sacerdotem & Episcopum, cum geminis sacrorum ministris Valerio Diacono, & Subdiacono Materno, ad Augustam Trevirorum, præcipuam Belgicæ Urbem, jubet proficisci. ubi, Galliæ Germaniæque propinquis latè per utramque gentem religionis propagandæ spes affulgebat.

Hi, superatis jam Alpibus, Tribocorum, quæ Alsatiæ nunc sunt, sedes attigerant, cum Maternus, ad El-  
 li fluminis ripam in pago \* cognomine, febrium æstu correptus, morte defecit. Quo casu afflictus Eucharis, Romam cum socio relegendam, seu novi Subdiaconi, seu consilii à D. Petro accipiendi gratiâ, censuit. Reversos Apostolus solatur, bonæque erectos recipiendi socii spe, cum baculo abs se porrecto, in viam remittit. Qui sine cunctatione iter retrò emensi, quadraginta dierum intervallo sepultum refodi mandant, admotoque baculo, in virtute Christi reditum ad vitam imperant, impetrantque. Quâ novitate miraculi attonitæ hæ gentes, magno numero Christi religione auctorantur. Utque extaret facti memoria, veteres eò loci Basilicam Resurrectionis nomine excitaverunt. cujus nondum oblitterata vestigia, magnâ hodie convenarum veneratione teruntur. Plures à Materno deinde, per Alsatiam superstitione purgatam, Ecclesias excitatas memorant, in quibus & Argentorati & Mols-

Sub Claudio Imp. D. Petrus Romam venit.

Harigerus, Abbas Method. Marianus Scotus, M. SS, Trev.

\* Ellum, Eucharis, Valerius & Maternus Trevirim à Petro missi.

Maternus in Alsatia mortuus Post 40 dies excitatur Baculo D. Petri.

& Molshemii haud procul urbe D. Petro sacra ædes, & hæc quidem febrientibus salutifera esse creditur. Baculi etiam partem Ubii, partem Treviri possident. Et apud hos, jam ante 900. annos usitatum in Synodis Provincialibus, decreta Ecclesiastica hoc baculo impresso, confirmare obtinuitque consuetudo ne alibi, quam apud solos Treviros, Romanus Pontifex cum baculo prædiceret. ad hæc certis hæc veritas argumentis ad posterum est propagata.

An. Chr. 50.

Treviros deinde iidem sacrorum Triumviri appulerunt anno Christi L. Claudii Imp. IX. & Petri Pontificis VII. ad nobilissimam id temporis Urbem, Senatibusque flore, Incolarum multitudine, Romanorum commercio cultique, nulli id temporis in Gallia Germaniave secundam. Nec dubium quin fama ex Tribocis committante, à curiosa gente avidè sint auditum. Verùm ut assolet, inflammati repente adversus hos novæ religionis satores, Capitolini Pontifices sacrificulique, ut qui sua cum sacris lucra per hos eversum iri prospicerent, animos plebejorum odio ac furore accendunt. Qui cum Eucharium sociosque lapidibus exacturi urbe, ad hos corripiendos vererentur, obriguere in hoc conatu omnes, alii in terram curvati, alii ad lapidum jactum scædè membris distorti, ut jam furore in stuporem verso, ex persecutoribus supplices fierent, & miserationem positâ vindictâ implorarent. Nec diu cunctatus Eucharius conversa ad Deum prece, vincula exorantium membra restituit integritati. Quâ re ingens multitudo ad salutis consilia pronis auribus obsequioque mox inflexa est, seque præbuit erudiendam.

conversio multorum & Albanæ viduæ post filium ejus à morte excitatum.

Inter illos verò quibus baptismi gratia facta est, clarissima fuit opibus ac genere, senatorii ordinis vidua Albana, quæ cum spem familiæ, unicum quem habuerat filium, lethali recens morbo amisisset; supplex, per illum quem Eucharius prædicabat Christum, orabat, sui, filiique miseratione tangeretur, ac vitam redderet, nullâ se cunctatione interpositâ, tam sanctam religionem

nam cum universa domo secuturam. Nec gravatè  
Divus annuit; sed in conferta multitudine ædes subit,  
Deumque pro salute adolescentis precatus, ejus prehen-  
sâ dexterâ ad gloriam JESU Redemptoris nostri, in  
pedes, vivum incolumemque erigit, totamque spectan-  
tium coronam, in admirationem laudemque Christia-  
næ religionis abripit. Tum enim vero pluvium cum Al-  
bana filioque salutaribus expiati undis Christo accesser-  
e, magnisque orthodoxa fides præconiis atque incre-  
mentis est propagata, memorantque Trevirorum gesta,  
hanc explicatam per totam latè Galliã, ab Eucharis Ec-  
clesiam, supremã, eam post Apostolum, potestate, mo-  
derante. Missos enim cum eodem Romã ad Remos Sini-  
cium, ad Catalaunos Memnium, ad Mediomatrices \*  
Clementem, ad Leucos \* Mansuetum. Ex quibus hi,  
duo populorum ultimi Trevirorum juri parent. Remi  
olim Gregorio VIII. teste, parvère: qui sic Manassi  
Episcopo loci scribit; *Remensis, cui præsidet, Ecclesia quo-*  
*dam tempore Primati subjacuit: & cui, nisi Treviro-*  
*rum? neque enim, ante hunc, alium hac dignitate hisce*  
*regionibus ornatum reperies. Virodunensis \* quidem*  
*sedes hujus etiam auctoritatem reveretur, sed aliquantò*  
*hæc serius procurante B. Dionysio, per Sanctinum Epi-*  
*scopum, sub Clemente Papa I. est instituta.*

Episc. Trev.  
per Galliam  
Primum  
tenuit.  
\* M. SS. Trev.  
Paul. Diac.  
\* Metenses  
& Tullenses  
Hinem.  
Epist. 6.  
\* Viridunen-  
sis.

Annus jam primus à quinquagesimo Christi volve-  
batur quando L. Pomponius legati munere exerciti-  
bus Germaniæ præfectus, Treverici equitatus auxilio  
Cattorum latrocinia coërcuit. Agrippina Claudii  
Imp. neptis ex Germanico fratre, uxorque, Coloniam,  
natalis memor soli, Ubiorum in urbe veteranorum con-  
stituit, suoque illam appellavit nomine ambitiosa mu-  
lier, imperium penè orbe toto pro Claudio occupans,  
Neronis postea regentis, sed infelix, mater. Druidarum  
quoque hoc tempore, quondam repressa, nunc propè  
extincta religio, Galliis ad veræ fidei incrementa,  
Claudio tamen hoc beneficium ignorante, profuit. Qui  
denique venenum stolidi crudelitate promeritum, anno

An. Chr. 51.  
Agrippina  
uxor Claud.  
Coloniam  
Ubiorum  
constituit.



- A. C. 55. imperii XIII. bibit, & immaniori post se bestia Neroni locum fecit.
- Claudio extincto, Nero subit. Principio hic tamen humanitatis specie multorum animos occupat. Ælius Gracilis sub illo Legatus Belgicæ præerat, tum L. Vetus & Paulinus Germanicis exercitibus. qui in pace otioque præfecti Christianæ disciplinæ latius proferendæ copiam fecere. Vetus etiam, nisi obstitisset Gracilis (quod Galliam Germaniamque fociari classe nollet) rem moliebatur æternâ memoriâ dignam. Ararim namque apud Leucos ex monte Vogenso haud longè à Mosellæ fontibus nascentem, secto, quod medium erat, per otiosum militem, terrarum spatium, huic infundere cogitabat; ut copiam per mare deinde Rhodano & Arari subvectæ, in Mosellam Rhenumque ac demum in oceanum borealem transfunderentur. Sed Gracilis invidentiâ res in solo conatu substitit.
- A. C. 59. Araris in Mosellam traducendi conatus. Neroni inter hæc ad omnem insolentiam effuso hermaphroditas equas ex agro Treverico collectas Romam subicere Cæsareo carpento usque circumferri placuit. Zenodorum è Gallia quoque postulavit statuarium, qui CX. pedum colossum, eidem formavit, quem demum Vespasianus, Neronis sublato capite, soli dedicavit. Ceterum intolerando hæc provincias tributorum gravavit onere, insatiabili primum auri, deinde & humani sanguinis cupiditate flagrans. Qua cum domi forisque confunderet omnia, odiisque Romanæ plebis atque execrationibus peteretur, incendio tota urbe per scelerum administratos sparso, quos ferro non potuit, flammis perdere conatus est, utque flagitia subinde flagitiis tegeret, in Christianos facti invidiam poenamque vertit, eosque, velut Romæ incineratæ autores, omni suppliciorum genere sustulit, edictoquo primum vulgavit, ne cui impunè Christiano esse liceret. Hinc per omnes Romani Imperii fines immaniter in eosdem sævitum est: neque iccirco tamen religione deficiente, compertum; quòd sanguis Martyrum semen esset Christianorum. Ita Petrus Paulusque Apostolorum Principes sublati

sublati Romæ, illâ in sede successorem habuere Pontificem Linum, Nazarius cum Celso puero Roma Mediolanum, indeque eiectione Treviros pervenere, fidei, quacunque licebat, orthodoxæ præcepta tradendo. quos eo in opere deprehensos Cornelius Belgicæ Proprætor, Neronis mandato, Mediolanum remisit. Ubi ab Anolino Præside, post varia tormenta, ad extorquendam Christi fidem nequicquam adhibita, gladio subjecti sunt. Remis eadem tempestate Neroniana in Sixtum (quem aliqui primum illic Episcoporum statuunt) Senecium Amantiumque S. Petri discipulos pari crudelitate animadversum esse sentiunt, Treverica nondum Ecclesia ad hanc purpuram vocata.

S. Petrus à Nerone occisus, Lino successore. A. C. 68.

Nazarius & Celso, alique Episcopi Gall. Mart.

A. C. 69.

Galli ipsique Romanorum legati impatientes tam stolidæ effrenisque tyrannidis, contra immanem hanc belluam arma sumenda esse statuebant, Julio Vindice, ex Gallica stirpe, Proprætor, qui Ædvis Sequanisque in sententiam defectionis adductis, Treviros Lingonesque \* inflectere non potuit; tum quod infelici plerorumque rebellium exitu; tum, quod Germanici exercitus sub Verginio Legato in fide stantis imminentisque constantia abstraherentur. Unde civile mox bellum exarsit. Quamvis Neronis defendendi studio amoreque nemo ferrum caperet. Nam Germanicæ copiarum cum Trevericis Verginio imperium, Vindex cum Gallis Sergio Galbæ deferebant, qui Hispaniarum Provinciam obtinebat. Et is quidem minimè tergiversatus contra Vindicem duxit, obseditque Vefontium, ubi postquam ad familiare colloquium ventum esset, Duces convenire nisi sunt; Sed Vindicis miles loco movens, Germanos, Verginiique in se copias tanto ardore concitarunt, ut ad XX. Gallorum cæsa millia, desperantem rebus suis Vindicem in necem voluntariam conjecerint; quod perire manu sua, quam Neronis experiri crudelitatem mallet. Quæ res Verginio ut inopinata, ita aliud jam, & ut creditur, imperium Vindicis ope meditante, tristis accidit.

\* Eocharingos hodie.

Civile bellum Gallorum à Nerone deficientium.

Interim

Neroni in-  
terfecto Gal-  
ba Imp. suc-  
cedit.

A. C. 70.

Otho Galbæ  
occiso surro-  
gatur.

Vitellius in-  
terempto  
Othoni.

*Tasit. Sue-  
ton,*

Interim Galba animis Gallorum qui pro Vindice ste-  
terant delinitis, pro eodem vindex novus adfuit, juveni-  
que cœpti audaciam fortunamque, desperati jugulum-  
que proprium confodientis Neronis infelix exitus, tum  
Legionum Rom. quæ inferiorem tenebant Rhenum,  
sub Vitellio Præfecto, accessio manifesta, superioris ve-  
rò exercitus sub Hordeano Flacco simulata. Quibus  
fretus fidensque Romam ad imperium vocatus abiit.  
Verum ubi senectam suam despectui vidit esse Roma-  
nis Pisonem illustri familiâ juventâque conspicuum ad-  
optat. Qua re Othomîs Silvii imperandi spe desiderio-  
que inflammati, in se odia insidiasque concitavit; ut im-  
missis hic denique percussoribus, post conciliatôs mili-  
tum animos, regnum occuparet.

Quæ dum Romæ aguntur Treviri Lingonesque  
malè nuper à Galba ob Vindicis cædem, detrectatum-  
que ejus imperium, habiti, cum Ubiis, & Valente ac Cæ-  
cinna, Legionum inferioris Rheni Legatis, Vitellio Con-  
sulari viro à Galba ad exercitum misso imperium fidem-  
que adversus Galbam deferunt. Quo, non sine cun-  
ctatione, inter epulas Coloniae Ubiorum admisso (aut  
erat corporis saginæ impensè deditus) in Italiam  
cum suis Trevirorumque copiis movit, nuntioque per  
viam accepto, Othonem, pro Galba Semestri Impera-  
tore, Romæ præsidere intellexit, quem demum per Cæ-  
cinnam & Valentem acie in Italia fractum, ad commune  
desperatorum barathrum, mortem spontaneam, adigit,  
ut si dulcius esset proprio, quàm alieno ferro vitam ex-  
torqueri.

Vitellius re cognitâ, Hordeonio Flacco summam  
belli tradidit, Juliumque Tutorem fortissimum Tre-  
virorum Ducem Rheni defensorè pro Romanis consti-  
tuit, ipse per Treviros Lingonasque inter præsidiarias  
cohortes Italiam petiturus. Sed priusquam Romam at-  
tigisset, ab orientali exercitu Vespasianum Imperato-  
rem Othoni surrogatum esse cognovit. Quam sopire  
conatus est famam, ne ad seditionem novam occiden-  
tales

tales provincias exercitusque raperet. Sed frustra fuit. Batavi occasione usi, Claudio Civili ductore Romanos totâ insulâ victores abigunt, & cum Flacco Trevericisque congressi copiis prælio vincunt, Batavorum, qui apud Romanos erat, milite ad populares transeunte. Ad castra igitur Clivorum Vetera se victi recepêre. Cum usus dissimulatione Civilis adversus Vitellium pro Vespasiano Romanorumque dissensione tollenda armâ se ferre dixit, Flaccumque, ut pro eodem stare vellet excitavit, qui dum militibus Vespasiano nomine stipendia numerasset, hi vino madidi, iraque in Flaccum inconstantem moti, cubiculo extractum interimunt, fide in Vitellium, pro quo Treviri etiamnum faciebant, innovatâ.

Tum enimverò Civilis larvâ positâ Treviros ad societatem invitât, seque pro libertate patriâ, Gallisque, si lubeat, à servitute Romanorum vindicandis, arma ferre professus est: consilia tantum viresque fociarent. Alam Trevirorum quæ Romanis servierat, regebat ex prima nobilitate J. Classicus. Quam suam denique in sententiam cum Civilis pertraxisset, Julius Tutor Sabinusque atque alii urbis gentisque Principes accessêre. Nec satis, hi, quâ erant apud Romanum militem auctoritate, effecêre, ut Voculâ legato suo interempto, in Trevirum Galliarumque fidem concederet. Ita Classicus sumptis Rom. imperii insignibus castra subiit, Tutorique committit, ut superioris Rheni Legiones suam quoque in fidem adigat. Nec fefellit eventus, Præfecto Castrorum pulso, Tribunisque occisis miles obsequitur. Inde cum Civili Classicus in Clivos ad Vetera profecti castra, omni comœatu intercluso fame exhaustos ad deditionem obsequiumque compellunt, ac subinde in Treviros traducunt.

Julii Sabini Lingonum Ducis major ex hoc successu federatorum amentia fuit, quod Cæsarem se jussert salutare, ac turba popularium stipatus in Sequanos restitentes duxerit, à quibus victus, menstruus Cæsar, voluntariâ

Civilis Batavus Rom. rebellat.

Treviri Civili accedunt; Jul. Classico, & Tutore Ducibus.

Romanum sibi militem Treviri adjungunt.

Jul. Sabinus Lingonum Dux elatione sua perit.



luntariâ morte, aut latebris damnatus perpetuis, lucem hominum devitavit scenicus tantum Imperator.

A. C. 71.  
Fl. Vespasianus Vitellio ad Gemonias conciso sufficitur.

Cerealis Vespasi. Dux Treviros Batavosque confederatos profligat.

Cerealis Treviris receptus & frustra oppugnatus.

Flav. Vespasianus jam Romam magnâ urbis plausu, & Vitellii turpissimi helluonis abominatione ingressus, hoc ad Gemonias scalas à plebe dilacerato, Petilium Cerealem cum exercitu ad Rhenum destinavit, cujus venientis fama commotæ Galliæ concilio Remis instituto frustra Lingonas Trevirosque ad servandam Romanis, in quam jurare decreverant, fidem invitarunt, quòd hi libertatem servituti præferendam esse jactarent, armorum virtute animosè magis fisci, quam consultò usi. Siquidem sparsis latè viribus, Civilis avia Belgarum, Classicus inferiorem, Tutor superiorem Rhenum oberrabat, neglectis Alpiùm claustris venienti Romano occludendis. Sed occurrentibus deinde ad Moguntiacum Flavianis impar, desertusque ab auxiliariis, & coactis Legionariis, ingenti clade à Sextilio felice cæsus est, priusquam Cerealis adesset. Qui cum Tul. Valentinum Trevirorum Ducem Rigoduli, quinque ab urbe passuum millibus, se munitis objecisse castris intelligeret, omni suorum conatu, non sine clade eadem perripuit, interceptoque Valentino, profligavit. Victor Augustâ Trevirorum urbe receptus, vix avidum spoliolum militem ab ejus direptione continuit. Clementiâ tamen Cerealis, quàm ultione maluit celebrari. Qui dum res in urbe componit, adsunt à Civili & Classico litteræ quibus Galliarum imperium, si hoc velit acquiescere, Cereali deferunt; si nolit, arma. Cunctantemque mox perruptis ante urbem castris, occupatoque Mosellæ ponte, non segniter premunt. Qui ex lecto, ubi hæc accepit nuntia, provolans, trepidosque magnâ ipse virtute in hostem præviis, animans, rem penè collapsam, instauratâ acie, erexit. Tutor, & Classicus ac Civilis suis quique pugnam locis ciebant, Galli pro libertate, Batavi pro gloria, Germani etiam pro prædâ pugnant, ad quam, dum omisso hoste, immaturè provolant, & victoriam, & prædâ, & plerique etiam vitam

vitam amisere. Collecta enim Vicefima prima Legio, non modò ruentes sustinuit, sed perrupit, & cum Cereali fortunam secuta, tam aliena occupavit hostium castra, quàm propria restituit.

Properabat inter hæc classis Britannica, ut pro Romanis ab oceano Batavos invaderet; sed hanc adorti Caninesates \* aut mergunt, aut occupant, parique mox felicitate inavores è Belgis Nervios profligant. ut Romanorum fors velut in rota, nunc assurgere, nunc inclinari rursus videretur. Classicus etiam Cerealis equitatum, infra Ubios aggressus, disjecit. At cum Civilis Vetera ad Rhenum inferiorem, Germanorum auxilia operiens, teneret, Cerealis omni vi incumbens iisdem exiit, ut Tutor Classicusque, cum Trevirorum Senatoribus centum ac tredecim, ceu rebus domi desperatis, Rhenum transgressi, miseratione donisque Germanorum auxilia secum traherent. Quibus utcumque fulti Tutor ac Classicus Romanas Legiones divisim carpunt, Cerealis etiam vix præsentibus periculis, nunc intercepta classe, nunc paludibus ipse clausus, pacem denique cum Civile Batavisque, in gratiam fidemque receptis, quàm bellum maluit. Quâ & Treviros complexum fas est opinari, argumentoque nobis est religionis mox amplificatæ lætissima in urbe seges, cujus in medio bellorum æstu sterilis est proventus.

Eo tempore quo Solymæ à Tito Vespasiani filio gravissima Judæorum strage expugnatae sunt, Trevirorum quoque multorum incredulitas memorabili Senatoris conversione profligata est. Hunc per noctem augustiori, quam humanâ, vir specie decoréque illustris, crucem manu præferens commonuit, nisi salute destitui eaque sempiternâ velit, audiendos esse advenas, Crucis Christi, verique Dei prædicatores. Quam commotionem ut ille luce proxima inter cives propalam cepit profiteri, præviusque exemplo fidem sacrumque baptisma amplecti, tanta repente multitudo ad sacras undas affluentium fuit, ut ad rivum, urbis umbelicum secan-

\* *Velavi, insulares Batavorum.*

Auxiliares Rom. à Batavis profligantur.

Cerealis mox victor ac victus.

Pace demum conciliatur.

Senator Treviricus celesti monitu fidem amplectis plurimos exemplo trahit.

Templum  
ab Euchario  
exercitatur.

Idola detur-  
bantur,  
ex quibus  
Venus super-  
est.

Harigerus.  
Eucharius  
moritur an.  
Chr. 73. 8.  
Dec. Valerio  
succeedente.

Plin. L. 18. c.  
20.

Valerius  
moritur Ma-  
terno relicto.  
A. C. 88.

secantem, accurrentem populum lustrari necessum fue-  
rit, cui quod olei sacrati infusione permistus fuerit, Ole-  
viæ hæsisse nomen, antiquitas vulgavit. Hæc animo-  
rum inclinatione usus Eucharius templum, in me-  
ridionali civitatis plaga, Albanæ viduæ liberalitate, sa-  
cris Christianis erexit, quod sub tutela D. Joannis Deo  
quondam dicatum, postea S. Eucharii, demum hoc tem-  
pore S. Matthiæ (post illatas hujus reliquias) dici cœ-  
pit. Quo facto, Idolorum magna per urbem strages se-  
cuta est. Venerisque ex niveo marmore truncus, hodie-  
dum juxta Eucharianam basilicam in muro asservatur,  
puerorum lapidationi expositus, cum hac epigraphæ:  
*Me pridem Treviris coluit profanis aris: iam truncus sa-  
crilegi Numinis prostrata spernor inanis. Et dum (Pe-  
trus) Piscator legat Eucharium, Valerium, Tunc tollitur*  
*error.*

Demum Eucharius post annos XXIII. hoc in munere  
Apostolico S. transactos, cælitus de migratione moni-  
tus, Valerio successori commendat Episcopalem cur-  
ram atque insolitâ circumfusus luce, adstantibus mira  
dulcedine delibatis, animam immortalibus inserit, cor-  
pus mortalibus relinquit, VI. Idus Decembris. quem  
anniversariâ memoriâ diem Ecclesia Trevirensis solen-  
nem retinet. Depositus in excitata à se Ecclesia est. in  
quâ XVII. ordine succedentium Episcoporum sepulchra  
præcipuâ olim religione colebantur.

Valerii Antistitis exordia prodigiosâ fertilitate or-  
nare Deo placuit, siquidem fruges brumali suffocatas  
gelu, suo in germine, iterata sementis Martio facta,  
uberiori segete pensavit. Nec ipse æmulator Eucharii  
segnis, dum religionis Christianæ messem, suo cultu latè  
sparsam florentemque conspiceret, ab Euchario post  
XV sui pontificatus annum, ad cœlestem mercedem,  
Materno pro se relicto, est evocatus, Anno salutis  
LXXXVIII. ad IV. Cal. Febr. postquam sacro Euchari-  
fiæ viatico, in multorum frequentia, munitus fuisset.  
Interea Cletus anno Chr. 79. Romæ Tit. Vespasianus  
anno

anno 80: Romæ Patri successerat, gratus omnibus ideoque, *delicia generis humani* dictus, cui post annum imperium defuncto, Domitianus frater, moribus impar, est surrogatus. Is enim quam primo humanus aditu, tam deinde omnis humanitatis oblitus, ut alter Nero passim in subditos, maximè autem Christianos, alterâ persecutione grassatus est. In Galliam Germaniamque adversus Catos è regione Trevirorum profectus, feroces gentis animos magis exacuit, quàm repressit. Ut tamen Romæ sibi triumphum adornaret, emptis per commercia servis, habitum crinesque in speciem captivorum formavit, nec alia, quàm ex Provinciis spolia extulit.

Domitianus Imp. Titi Vesp. successor in Christianos crudelis, triumphat de Germanis sine victoria.

Porro Christianos ( quos gentiles cum Judæis, ex quibus orti erant, confundebant ) id temporis Religiosorum hujus ævi vitam, jam tum expressisse argumeto sit, quod Tacitus de eis affirmat: *Non quicquam prius imbui, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres vilia habere:* juxta haustam à Christo disciplinam. His nominibus invisi plures Galliarum Episcopi & Sacerdotes, apud Santonas Eutropius, in provincia Belgica, apud Belluacos Lucianus, cum Maximiano & Juliano presbyteris, apud Rhotomagenses Nicasius Antistes interfectus est.

lib. 5 hist. Christianorum priscorum mores religiosi.

Maternus verò apud Treviros sede fixa, latè sese ad nationes vicinas effudit, hinc ad Rheni superioris, Tribocus, notam sibi dilectamque, à reddita istie vitâ, gentem, Nemetesque ac Vangiones excurrens; inde secundo flumine Ripuarios, seu ripam Rheni accolentes, Agrippinenses, quin & Eburones Tungrosque invisens, pomeria Episcopalis suæ jurisdictionis, cum orthodoxa fide, latius proferebat. Quanquam B. Crescenti, Galliarum Apostolo, sua apud Moguntiacos, fortè & Ubios laboris seges relicta sit. Nos Materni studia prosequimur. Hic ad Coloniam Agrippinam delatus, Apostolico spiritu prædicare Christum, ejusque fidei veritatem cælestium virtutum signis stabilire aggressus,

A. C. 92. Materni in fide latè propaganda zelus. Crescens Gall. Apostolus.

D cum

Maternus  
Coloniam D.  
Virginis & S.  
Petri templa  
excitat.  
\* Leodienses  
Tungros, E-  
burones, &  
Arduennates  
instruit.

Diversis lo-  
eis sacrificat  
die eodem  
Natali D.

\* Chinei.  
Quinque  
mortuos vi-  
tae restituit.

Nerva succe-  
dit Domitia-  
no Imp. Ner-  
væ Trajanus.

Colonia Tra-  
jana apud  
Sanctos opp.  
fundata.

Treviris urbs  
munita.

cum plures Christianis jam sacris aggregasset, templa collocasse DEO gemina, alterum sub patrocinio Dei parentis, alterum sub Apostolorum Principis Petri tutela narratur. Inde ad Tungrorum, nobilem quoque id temporis Coloniam, profectus, non impari conatu profectuque, & illic, & per vicinos Eburones, \* Arduennæque populos rem Christianorum provexit, Ecclesiis ministrisque, ut id temporis licuit, constitutis, quod illud imprimis curæ esset, ut quotidianis sacrificiorum liturgiis, ministraretur Domino, & ad communicationem frangendi panis fideles convenirent. Memorantque (quod nonnullis, ut arduum, sic parum credibile est visum) principio, in defectu sacerdotum, eodem natali die Maternum Trevis, Agrippinæ, Tungrisque ad aram fecisse, qui ipsi non minus, quam Philippus in Azotum raptus possibilis extitit. Illud verò, memorabile iis ad Mosam gentibus, Materni nomen extulit, quòd, haud procul Dionanto; ad Bochum anem, in vico Segnorum \* quinque, ex prima gentis nobilitate, ruinâ letali oppressos ad vitam revocavit. Ita quod difficile in Christiana fide insolensque occurrebat liberæ assuefactis vitæ, hoc divinâ miraculorum virtute levabatur.

Christi dehinc anno septimo & XC. Nerva Coccejus Domitiano successit, qui annum & quatuor mensium potitus imperium, haud multò post Trajanum Ulpium Galliæ Germaniæque insigni moderationis fama profectum, & apud Ubios ferè morantem, in honoris laborisque consortem adscivit. Hic quod recusantis specie munus admisit, insigni deinde vigilantia, gloriaque armorum, latè per Germaniam ad Danubium usque celeberrime reddidit: firmatis ad Rhenum præfidiis imprimis memorandus. Nam addita Legione XXX. quam Ulpianam Victricem dixit, eam in fundata à se Colonia Trajana, hodie Sanctorum oppido, constituit. Trevis quoque, & suis muniisse ædificiis, & coluisse Legionibus firmasseque, ac per reliquam instaurasse Belgicam collapsa, monumenta, nummi que his locis reperti arguunt.

unt. Sed egregie factorum laudem crudelitate in Christi sectatores exercitâ fædè corrupit, tertia persecutio-  
 ne in fideles excitata, quæ & Clementem Pontificem  
 Cleti successorem, in Ponti exilio mersum, involvit,  
 anno salutis CI. subeunte in locum Anacleto. quem par  
 sub Trajano, martyrii palma decimo post anno mansit,  
 Evaristo eandem in sedem sortemque succedente. Tam  
 paratæ tunc erant Christianis ex patientia victoriæ. Ma-  
 ternus tamen hanc declinasse lauream locorum varie-  
 tate, ad majorem suæ Ecclesiæ utilitatem visus est. quod,  
 ut generosus illam in necessitate animus subterfu-  
 gere non assolet; ita nec in opportunitate salutis pro-  
 ximorum, quærere, cum publici boni ratio, privata re-  
 ctius præferatur.

Persecutio  
Christ. 3.

Maternus  
evasit.

A. C. 117.

Hadrianus porro, Trajani mortui (anno alterius se-  
 culi XVII.) successor, ejusdem quoque impietatis pro-  
 secutor extitit. Hic peregrinandi lustrandique Rom.  
 Imp. urbium avidus, ut sui ubique nominis monumen-  
 ta relinqueret, urbes coloniasque circumductis operum  
 fabris passim instauravit, omnesque qui justas inopiæ  
 causas dedissent, quos Caussarios appellabant, liberali-  
 tate sua, aut ære sublevabat, aut fisci oneribus absolve-  
 bat. Utque populum molli sibi in otio spectaculis ju-  
 cundis devinciret, hæc in Theatra multis locis induxit.  
 Reip. quoque totius formam ab Augusto diversam,  
 alia provinciarum partitione, instituit. Gallia transal-  
 pina Britannis Aquitanisque inclusis, in duodeviginti  
 provincias tribuit. Belgium bipartito secuit. Illam  
 quæ Rheno Germanisque vicina est partem, Belgicam  
 primam dixit, caputque ipsius Augustam Trevirorum  
 urbem esse jussit. reliquam quæ ad Sueffionum fines  
 usque excurrit, Belgicam secundam dici voluit, Remo-  
 rumque urbem, Duricorturum olim nuncupatam, prin-  
 cipem ejus regionis nuncupavit. Officia quoque pu-  
 blica, palatinaque ac militiæ, in eam legem formam-  
 que composuit, quæ paucis sub Constantino mutatis,

Hadrianus  
 Imp. Galliam  
 Belgiumque  
 lustrat, urbes  
 instaurat,  
 provincias  
 aliter & offi-  
 cia partitur.  
 Primam &  
 2. Belgicam  
 instituit, &  
 illi Trevirum  
 præficit.

D 2 perseve-

*Hist. Misc. l. 10. Victor. in Epir.* perseveravit. Unde Rectores Præsidesque Provinciarum, Comites fisci, Præpositi thesaurorum, aliaque in

*Xiphil. A. C. 122.*

*Notitia Imperii* indicata, per Treviros vicinasque regiones, munia. *Urbes* quoque, ut Dio refert, aquis, portibus, frumento, operibus, publicis, pecunia, honoribus ceterisque rebus auxit atque ornavit, ut RESTITUTOR & LOCUPLETATOR ORBIS TERRARUM in nummis publicis sit prædicatus, neque Treviris illi parum hoc in genere debere sit visa.

Christianos  
4. perfec. premit.

Sed tam præclaram gubernationis politicæ famam odium in Judæos Christianosque sædavit. Quo in oriente præsertim, Christi nascentis patientisque honorata vestigia, fanis & simulachris Deorum substitutis, abo-

*Paul. Nol. Ep. 2. ad Severum.*

levit. Donec Helena, Constantini M. Mater, à Treviris in Orientem emergens, hanc sacrilegæ impietatis labem, Crucis, Christi que memoriâ restitutâ, abster-

A. C. 128.

Maternus  
Colonia  
moritur, &  
Treviros ad  
Sedem trans-  
fertur.

Numerabatur annus à Natali Servatoris N. 128. quo Adriani circiter X. erat: quando ab Eucharis Valerius que cælesti invitatus visu Coloniae Ubiorum Maternus, post commissam suis Ecclesiam ad immortalitatem transiit, XV. Septembris. Cum Treviri Coloniae profecti, insigni funeris pompâ, extis istuc supra Coloniae relictis (quæ & Gentilium consuetudo erat) ad primam ejus Episcopatus sedem retulere. Placuit recentioribus historicis, quâ fide non satis liquet, Materni funus, cum pro eo Ubii juxta Tungricæ contendere, consilio ignoti senis impositum rati, adverso deinde Rheno & Mosella commeasse Treviros, adeoque his cœlitus causam adjudicatam. Sunt etiam & ceteris vetustis quidam, asserentes Maternum fuisse viduum Nain filium à Christo ad vitam revocatum. Quorum tamen magis fides vacillat, ob nimiam, quam in illis conferunt ætatem. Illatus principio Ecclesiæ, qui nunc S. Matthiæ, deinde ad summam D. Petri ædem frequenti miraculorum gloria, in obsessis, cæcis, aliisque corporum infirmitatibus curatis inclaruit, suosque deinde

deinde Treviris, quamvis nonnulli frustra obstrepant, Apud Mari-  
 successores nactus est, quorum antesignanus, Metho- an. Scotum  
 dio teste, est *Auspicius*, cujus (quod ancipites quosdam Et M.S. Trev.  
 fecit) res gestæ, sub gravi nube persecutionum, ut in Auspicius  
 recens natis Ecclesiis Christi solebat, obscuriores delite- Episc. Trev.  
 scunt, quæ & sequentium aliquot Episcoporum lumen succedit.  
 obfuscatur. Hunc verò martyrio coronatum, primùm Primus hu-  
 hanc Ecclesiam jam illustriori specie Tyrannorum ocu- jus Ecclesiæ  
 los percellentem, irrigasse sub Antonino sentiunt, cō. Martyr.  
 que nomine anniversariâ octavo Julii memoriâ hono-  
 ratur. Nec in quibusdam Calendariis titulus Confes-  
 soris, olim etiam Martyribus tribui solitus, hanc opini-  
 onem infringit.

At Hadrianus per Serenium Granianum Belgarum  
 Legatum Virum sapientem atque apprimè nobilem A. C. 134.  
 instructus de calumniis, quibus immerentes Christia-  
 ni gravarentur, odia irasque Imperatori extorsit, adeò  
 ut mente ad saniora conversâ, cœlestes decerni Christo Hadrianus  
 honores, locarique templa statuerit. Sed nondum Imp. non a-  
 is Schola disciplinæque sanctiore dignus, moriens An- versus à Chri-  
 tonino Pio Imp. locum celsit. Hic ex Narbonensi or- sto, moritur.  
 tus Gallia, hanc & Coloniis, & castellis per Rheni limi- A. C. 139.  
 tem dispositis, & pontibus viisque militaribus egregiè Antoninus  
 illustravit, suo ipse quod condidit Itinerario hactenus, Pius successor  
 & columnis miliaris, frequentibusque apud Treviros Gallias Co-  
 repertis numis cognitus. Ad quos Coloniâ, Argentor- loniis, & viis  
 rato, Cabillone, Duricorturo iter expeditum straverat. militaribus,  
 Cunctisque sub pacifico principe, solis Christianis dem- præsertim  
 pris (quæ erat calumniantium vis) quietis esse licuit. apud Trevi-  
 Celsus deinde Auspicio surrogatus, animo verè Celsus Trev. Ep. Mart.  
 sublimisque, ac clarus genere fuisse scribitur, moriendo  
 fortiter pro Christo, anno salutis 142. id ipsum testatus,  
 quando ad XXIII Februarii diem *Felici* successoris sedem  
 hanc reliquit, ipse meliori assertus in cœlis.

Interea Romæ cum Pontificio Martyrium sociarant,  
 post Evaristum, Alexander, Xistus, Telesphorus, Hygi-  
 nus, Pius & Anicetus Papæ, ut nemo hujus candidatus



Manfuetus  
Trev. Ep.  
A. C. 168.

\* Poppardia  
Martyres  
Poppardien-  
ses.

lib. I. c. 2.  
Consensus  
Christianorū  
veterum.  
\* Hispanis.  
\* Gallis.

A. C. 170.  
Pestem exce-  
pit bellum  
Marcoman-  
nicum.

Melitina  
Christianorū  
legio, pluviam & victo-  
riam cælitus  
exorat.

Tertul. Apol.  
c. 5. Euseb. l.  
5. c. 5. Oros.  
l. 4. c. 24.

honoris, nisi qui ad hanc quoque aspiraret purpuram reperiri posset. Neque Felicem Trev. Episcopum dispar fortuna excepisse creditur, bis hoc dignū, tam in vita, quam exitu nomine, qui *Manfuetum* deinde anno insequenti 168. habuit successorem, sub quo Bodabrigæ apud Treviros Christiani plures militum Romanorum gladiis religionis odio succubere, à posteris, ut alibi videbimus cum gladio reperti, Jam enim passim invalescens fidei, tanquam sœcundæ vitis propago, quanto in tot Martyrum capitibus putabatur, amplius, tanto copiosius pullulabat. Jucundo ubique rectè sententium spectaculo, quod omnium ubique credentium cor esset atque anima una. Quo etiam Irenæus, Gallicanæ Ecclesiæ decus, consensu lætus; *Esit ait in mundo loquela dissimiles sunt; sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundata Ecclesia aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ, quæ in Hiberis sunt, neque hæ, quæ in Celtis.\**

Ingens hoc tempore pestilentia lues per Galliam Germaniamque innumerabilium mortalium clade & vastitate urbium agrorumque grassata, Romanæ quoque militiæ florem, suis ad Rhenum stationibus exhausit. Quâ occasione subinde usi Marcomanni, Quadi, ceteræque trans Rhenum nationes arma in Romanos latè per Rhenum, Alpesque circumtulērunt. Hi tamen denique non tam humana, quàm divina ope prævalentibus. Siquidem Melitina legio Christianis initiata sacris, cum in Quadorum, seu Bohemiæ finibus, contra hostem in acie stans, præ siccitate sitique deficeret, positis humi genibus, Christoque invocato, copiosam pro se de cælo pluviam, unaque tempestatem in hostes horrendè fulminantem impetravit, ut hi refecti, illi in fugam versi, instantibus à tergo Romanis, ad internecionem cæsi fuerint. Unde M. Aurelius Antoninus id temporis imperans, L. Verò collega extincto, tanquam ad Jovis invocationem versus, hujus victoriae laudem est assecutus. Legio tamen Melitina fulmina-

trix dicta fuit, ac denique experiētiā cognitum, auxiliā de cœlo, nisi Christianis orantibus, non obtineri. Numi M. Antonini hac *Victoria Germanica* inscripti Treverico hodie in agro eruuntur. Miti is deinde imperio, remissisque Vectigalibus, præsertim *vicecima* partibus, quæ ex hæreditate morientium militari Rom. ærario inferebatur, non ingratus Treveris vixit: cum nobilissimus quisque illic Romanæ civitatis jure frueretur, quod à vicecima pendenda eximebat.

Multi Trev. cives Romani facti, à vicecima liberi fuere.

Treveris interea pro Mansucto defuncto CLEMENS, A. C. 173.

pacifica quoque moderatione præedit, sub quo Eleutherius post Anicetum, Anacletum, & Soterem Rom. Pontifex literas ad Galliarum Episcopos dedit, quibus de Accusatoribus Episcoporum Clericorumque, tum etiam de cibis, non sine ratione vitandis, quædam decrevit, ad Montani hæresin de Xerophagiis, ut credibile est, infringendam. Quæ decretales Epistolæ, ab A Catholicis explosæ, apud Treviros veteri in membrana fidem tuentur.

Decreta Rom. Pontif. Tom. 1. decret. Epist.

MOYSES \* IX Trev. Episc. surrogatus Clementi, circa \* *Moyse* annum Christi 190, fuit. sub quo VICTOR proximus ab A. C. 190.

Eleutherio Papa decernit Pascha Christianorum celebrandum esse dominica post XIV. lunam æquinoctialem, ne cum Judæis ea festivitate concurramus. Quod & A. C. 195.

Treveris receptum est, Synodo in Galliis celebrata. Porro qui in imperio Marco Antonino patri, anno salutis 181, successerat Commodus, moribus dispar turpissimis filius, reluctantes ad Rhenū subditos, vi magis, quam autoritate tenuit. Perennis apud illum Prætorio præfectus Christiani nominis hostis acerbissimus, omni hos injuriā bonis exuit, impactâ calumnia, ut si heredem scribere Commodum recusassent. Galliam itaque Belgiumque inquietum usque ad Frisios Clodius Albinus militiæ Tribunus perdomuit, Cæsaris iccirco nomen Commodi illi deferente. At hic invidiam, & velut in esca hamum veritus, sapienter abstinnit. Maternus sub hæc Romanæ militiæ

Gallia & Belgica bellis turbata.

Varii in Rom.  
imperio Ty-  
ranni. Gallo-  
belgicam  
turbarunt.

Se mutuo &  
remp. pessun-  
dant.

Plectunt in  
aliis, ambi-  
tum, quo ipsi  
delinquent.

militiæ defertor Dux rebellium prædonum factus latè Galliam Hispaniamque depopulatus est, à Pescennino Nigro egregiæ virtutis Principe, & suâ, militisque abstinentiâ, per Gallias, laudato, viribus vitæque privatus, Nec Commodi, à prævalido Athleta strangulati, dispar exitus, imperium vario competitorum ambitioni ja-ctandum objecit. P. Helvius Pertinax prima honoris ambitu victima suo post bimestre fœdavit sanguine purpuram. Didius Julianus nil exemplo territus breve regni gaudium morte clausit. Subinde in oriente Pescenninus Niger, in Pannonia Septimius Severus ab exercitu Augusti salutantur: sed Gallis Trevirisque faventibus Severus victor, hic Clodium Albinum Cæsaris jam titulo gaudentem reliquit, & Nigro in oriente confecto, hunc, quod olim prudenter caverat, nunc odium, velut ambitu sceptri incurrentem, experiri coëgit, belloque & vulneribus fractum per ultima mortis ludibria atrociter sustulit. Irâ deinde in Gallos Belgasque fautores versa, quibus Albino favisse exitiale fuit. Tam sensus teneri sunt cupidè imperantium, qui nullum in aliis gravius scelus plectunt, quàm, quo ipsi laborant maximè, ambitionis. Excisâ igitur à stirpe Albini familia, Antoninum, & Getam filios (& illum quidem à Christianis enutritum pullum degenerem) Cæsares, ac deinde Augustos secum dixit, ut unum jam simul imperium, majori onere quàm honore, tres ferret Imperatores, cum nec duos quidem Soles cœlum sustineat.

